Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Collectanea Medica - Cod. Rastatt 71

[S.l.], [17. Jahrh.]

[Citate aus Hippocrates, Augustinus, Cicero, Salustius u.a.]

urn:nbn:de:bsz:31-300684

Visual Library

Hipp. περὶ εὐσχημοσύνης.

Medicamenta autem, tum eorum simplices ~~qualitates~~ facultates, tum si quae descripte sunt, probe tibi memoria teneantur. In animi etiam notione reponantur quae ad morborum curatio, nem pertinent, eorumque modi, quot & quomodo in singulis se habeant. Hoc enim in re Medica principium, medium & finem obtinet.

Quod artes quaedam sint, quae laborem artificibus, utilitatem ijs qui utantur, impertiant: quaeque alijs artis imperitis auxilio sint, peritis autem dum exercentur, dolores, anxietatesque pariant & molestias, in arte medica experiri cuique licet. Medicus namque visu, tactuque malorum molestia afficitur, & ex alienis calamitatibus proprios colligit dolores. ex Hipp. lib. de flatibus.

Medicus fideliter curans aegros, primum praemium CURAS habet: & Medicinam exercere, est, miserias vitae humanae videre. D. Augustin.

Cicero.

O conditiones miseras administrandarum civitatum & provinciarum: in quibus diligentia plena simultatum e: negligentia vituperationum: ubi securitas periculosa e: liberalitas ingrata: sermo insidiosus: assentatio perniciosa: frons omnium familiaris: multorum animus iratus: iracundiae occultae: blanditiae apertae.

Salustij.

Me quidem ex animi mei sententia, laedere nulla oratio potest: quippe VERA, necesse est bene praedicet, Falsam vita moresque mei superant.

Priscorum mos erat multa notare, de quibus per otium ~~cogitarent~~ judicarent. Erant rerum observationes, et nonnullae rationes nondum digestae, nec dum constitutae, nec definitae. talia sunt quaedam in libris Epidemiων.

Pindarus. Βαιὰ δ' ἐν μακροῖσι ποικίλλειν, ἀκοὰ σοφοῖς. At pauca in prolixis argumentis, vario sermonis artificio edisserere, auditio est pro sapientibus.

Vivere nostrum nihil aliud quam mori. Heurnius.

Opportunitatis momenta redire nequeunt. Prosperus.

Porcius Latro ad L. Catilinam.

Num in negocijs agendis ignoras sequendas temporum opportunitates, et in occasione rerum desidiam ac tarditatem omnem quàm diligentissimè fugiendam? Mirabilissimæ quidem sunt Deorum voluntates, & fortunam cum abire permiseris, frustra postmodum discedentem ac fugientem sis imploraturus.

Occasio medendi, dici potest curationis anima. Heurnius.

Prolatando magnæ opportunitates corrumpuntur: facto et non consulto opus in periculo. Salustius.

Est perpetuum in Medicina quod fieri debeat, non tamen perpetuum est quod sequi conveniat. Siquidem multa latent in corpore ignota Medico, multa intercidunt propter peccata ægrorum et ministrorum. Celsus.

Inutilis usus nisi præceptis firmetur. Ἀτελὴς ἄλογος πρᾶξις καὶ λόγος ἄπρακτος. Nazianzenus. Aequè imperfecta sunt, tum actio sine ratione: tum ratio sine actione.

In Medico requiritur scientia medendi singularis: virtus summa, authoritas et felicitas propè divina. Heurnius.

Firmissima axiomata proficiscuntur ex usu observatis rebus in corpore humano, et ex judicio usibus illis confirmato. Hipp. de veteri Medicina.

Indoctus secundum Averrhoëm tantum æquivoce homo dici meretur. Frida.

Devita medicorum consilia, qui parum docti & satis seduli multos officiosissimè occidunt. Seneca!

Divina benedictio flagitiosis & vitiosum vitam agentibus noverca est. Frida.

Nihil audaciâ doctius & ignorantiâ audacius. ex Hipp. idem.

Lex Aquilia. Imperitia culpæ annumeratur, veluti si Medicus servum tuum male secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit, culpæ reus erit Medicus.

Pallium et barbam video, at Medicum non video, cui si preciosam vestem, si cultum, ornatum et annulum detrahas, idem, quod Cumano leoni, accidet, qui pelle sua nudatus apparuit asinus. Cassius.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg